

Kunth. En. pl. I. p. 254) pereune, dense caespitosum, radice fibrosa; culmo ad nodos et apicem tenuissime puberulo; vaginis apicem versus obsolete puberulis; foliis glabris, radicalibus convolutis, setaceis, erectis, culmum dimidium aequantibus; panícula spicaeformi, cylindrica, conferta; spiculis 3-floris, 2 superioribus tabescentibus; glumae valvis elongatis, lineari-lanceolatis, 7-nerviis, puberulis, flosculos (cum aristis) subaequantibus; glumellae infimae valvula inferiore 9-aristata, extus puberula; aristis plumosis, apice scabris, glumellam ipsam fere ter superantibus. — In Turcomania, prope Krasnowodsk (Radde).

Herba circiter pedalis. Culmi numerosi, erecti, simplices. Folia parum scabriuscula, glaucescentia; caulinum supremum abbreviatum, vagina brevius. Ligula pilosa. Inflorescentia ad 7 centim. longa, stricta. Glumae valvae pallidae, muticae, inaequales, acuminatae, superior ad 1 centim. longa, inferior paullo brevior. Glumellae infimae valvula inferior ad 2 millim. longa, extus pilis patulis, mollibus tecta; aristae pallide purpureae, inaequales, ad $\frac{3}{4}$ longitudinis pilis longis plumosae, apice scabrae. — Species haec, quod ad habitum attinet, ad *Pappoph. setifolium* Hochst. proxime accedit, florum structura autem ab hoc egregie differt. Quoque *Pappophorum boreale* Griseb. plantae Raddeanae non absimile est, sed duratione annua, herba dimidio humiliore, nec non spiculis dimidio minoribus, glumae valvis 5-nerviis aliisque characteribus abhorret.

34. PTEROTHECA BIFIDA F. et Mey.

var. typica Trautv. calyculi periclinio multiplo brevioris foliolis lineari-lanceolatis, non vel angustissime scarioso-marginatis; achaeniis mediis muriculatis. — Prope Borshom (Radde), in Karabach (Hohen.), prope Derbent, Temir-Chan-Schura (Becker), Baku (Radde) et Astrachan (Becker).

var. leiocarpa Trautv. calyculi periclinio multiplo brevioris foliolis lineari-lanceolatis, angustissime scarioso-mar-

ginatis; achaeniis omnibus laevibus.—In deserto muganico (Radde).

var. calyculosa Trautv. calyculi periclinio dimidio brevioris foliolis ovato-lanceolatis, late scarioso-marginatis; achaeniis mediis muriculatis. — In territorio Swant, inter Diabar & Barnasar (Radde).

Varietates hae, exceptis characteribus supra indicatis, haud ita gravibus, prorsus inter se congruunt ideoque eas unam eandemque speciem sistere puto.

35. *SALSOLA ULICINA* Trautv.—*Horaninowia ulicina* F. et Mey. in Schrenk. Enum. I. pl. nov. p. 11.

var. tenuior Trautv.—*Horaninowia ulicina* Kar. et Kir. in Bull. de la Soc. des nat. de Mosc. 1842. №. II. p. 435.—*Horaninowiae ulicinae lus. 2.* Fenzl in Ledeb. Fl. ross. III. p. 795. — In Turcomania, prope Krasnowodsk (Radde).

Var. tenuior Trautv. a *var. typica* Trautv. (*Horaninowiae ulicinae lus. 1.* Fenzl in Ledeb. Fl. ross. III. p. 795) non differt nisi statura minore, multo graciliore et foliis multo tenuioribus; quod ad habitum attinet, quoque cum *Salsola minore* Trautv. (*Horaninowia minore* Schrenk.) prorsus congruit, ab hac autem antheris muticis (non lineari-appendiculatis) recedit. Praeterea *Salsolam anomalam* C. A. Mey. (*Horaninowiam juniperinam* C. A. Mey.) cum *Salsola ulicina* Trautv. conjungendam esse mihi persuasissimum est. *Horaninowiae* omnes perigonii foliolis dorso scarioso-alatis gaudere jam Fenzl recte monuit itaque non est quod genus hoc a *Salsola* separetur.

36. *RAPISTRUM RUGOSUM* All.

var. dasycarpa Trautv. siliculis pubescentibus.—In Tauria meridionali (Herb. Trautv.), prope Derbent (A. Becker).

var. gymnocarpa Trautv. siliculis glabris, rugosis.—Prope Schemacha (A. Becker).

var. laevis Trautv. siliculis glabris, laevibus. — *Rap.*